



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,  
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio  
incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & vera eligitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)



quia licet nomen meriti aliquando ita accipiat, tamen cum ipsum meritum tribuitur vitæ sanctitati, necesse est illud accipere in significatione propria, de qua nunc agimus. Tum etiam, quia plures ex SS. Patribus hoc meritum attribuunt bonis operibus ipsius B. Virginis, ut patet ex verbis D. Bernardi supra relatis; meritum autem quod bonis operibus alicujus tribuitur, accipiendum est in propria significatione.

## DISPUTATIO VIII.

## De Persona assumente.

Ad questionem 3. D. Thomæ.

**P**ostquam sanctus Doctor quidditatem seu essentiam unionis hypostaticæ, & causas ejus explicavit, incipit agere de duobus extremis ad illam concurrentibus, & primo de Persona assumente, in hac questione; deinde de natura assumpta, in sequenti.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum Persona Verbi immediate & proxime terminaverit humanitatem assumptam, ratione subsistentiæ absolutæ & communis, vel ratione subsistentiæ relativæ & personalis?*

## §. I.

*Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & vera eligitur.*

**I.** **C**ertum est de fide, solam secundam sanctissimæ Trinitatis personam incarnatam esse, ac proinde illam solam terminare ut quod naturam humanam; sed dissentio & controversia est inter Theologos, in assignanda ratione formali primaria terminandi hanc unionem, seu in explicando per quid Verbum primò & formaliter humanitatem terminet, an per subsistentiam absolutam & communem, vel per relativam & personalem? Supponimus enim in Tractatu de Trinitate, præter divinam naturam, & existentiam ejus, quæ est de conceptu illius intrinseco, dari in Deo tres subsistentias relativæ; quia dantur tres personæ, ut fides docet, nec possunt illæ constitui nisi tribus personalitatibus relativis; personalitates autem nihil aliud sunt quam subsistentiæ in natura intellectuali. Supponimus etiã præter subsistentias illas relativæ & incommunicabiles, dari in Deo secundum se considerato, & ut personis & relationibus præintellecto, subsistentiam absolutam & essentialem, per quam natura divina per se subsistit, non quidem incommunicabiliter, eo modo quo personæ, sed communicabiliter. Cujus suppositionis duplex potest assignari ratio. Prima est, quia subsistere ut sic, & ut dicit per se existere, importat perfectionem simpliciter simplicem, subindeque debet competere naturæ divinæ secundum se consideratæ, & prout personis & relationibus præintel-

lectionibus & personis, operatur ut quod: v.g. creat, gubernat, conservat: unde cum operationes non sint nisi subsistentium, Deus ut hinc consideratus debet habere subsistentiam, Quæ omnia in Tractatu de Trinitate latè probata sunt, ideo hic supponenda, & recolenda, seu breviter prælibanda. His præmissis.

Circa propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima est Durandus in 2. dist. 4. q. 2. existimantis unionem per se & immediate esse ad subsistentiam absolutam Dei, modicam autem & secundariò ad proprietatem relativam Filii; & ob hanc secundam unionem, quæ personalis est, solam personam Filii fuisse incarnatam de facto. In quam sententiã inducitur, quia existimavit proprietates relativæ non esse subsistentiam, seu nullas dari in Deo subsistentias relativæ, sed rationem subsistentiæ in Deo esse unicam & absolutam; proprietates vero relativæ solam dare incommunicabilitatem.

Secunda faretur quidem Verbum non terminare primariò unionem humanitatis, ratione subsistentiæ absolutæ, præcisè & absolute sumptæ, ut docet Durandus; sed vult eam terminare primariò ratione subsistentiæ absolutæ, ut modicam proprietatem relativam Filii; ita quod subsistentia absoluta sit ratio formalis terminandi, ipsi vero relatio, seu personalitas Verbi, solum condicio sine qua non: eo proportionali modo, quo potentia generativa in Patre constituitur per essentiam divinam, quæ tamen requirit rationem conditionem, relationem paternitatis, per quam modificatur. Hanc sententiam tribuit Medina Marfilio, Victoriz, & Soro, eamque sequuntur, qui non distinguunt realiter in creatis subsistentiam ab existentia.

Tertia, quæ est communis in Schola D. Thomæ, docet Verbum terminare adæquatè unionem humanitatis, ratione subsistentiæ relativæ, seu personalis, per quam constituitur in ratione personæ, acque distinguitur a Patre, & Spiritu Sancto. Ita Cajetanus, Medina, Nazarius, Alvarez, Aravius, Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alii ex nostris Thomistis, cum quibus.

Dico primò: Ratio formalis & proxima per quam Verbum divinum terminavit humanitatem, non est ipsa subsistentia absoluta & communis, sed personalitas, seu subsistentia relativæ & personalis, per quam constituitur in ratione personæ distinctæ a Patre & Spiritu Sancto.

Probatur primò conclusio ex Concilio Toletano 6. & 11. in confessione fidei, ubi hæc veritas videtur definita, his verbis: *Incarnationem Filii tota Trinitas operata est, quia inseparabilis sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius formam carnis accepit in singularitate personæ, non in unitate divine nature, in id quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune est.* At si humanitas fuisset primò unita subsistentiæ absolutæ, falsa esset propositio negativa Concilii, quæ docet Filium non suscepisse humanitatem in id quod commune est Trinitati; cum talis subsistentia absoluta, tribus personis communis sit, sicut & natura. Ergo ut veritas dictæ propositionis subsistat, asserendum est, humanitatem non fuisse immediate unitam subsistentiæ absolutæ communi, sed relativæ & personalis, per quam Filius constituitur in ratione personæ distinctæ a Patre & Spiritu Sancto.

Confirmatur ex 6. Synodo generali actione 8. ubi



ubi ex Sancto Dionysio cap. 2. de divin. Nomin. sic dicitur: Huiusmodi neque Pater, nec Spiritus Sanctus, illa ratione communicant, nisi forte quis asserat hominibus, elementisque & communicatione voluntatis, utque in omni supereminentiissima & ineffabili operatione, illos quoque accessisse confortes. At si humanitas unita fuisset immediatè substantie Dei absolutæ & communi, Pater & Spiritus Sanctus communicassent cum Filio, non solum in voluntate, & in omni operatione, sed etiam in terminatione humanitatis, quia terminatio illa fuisset tribus personis communis: Ergo juxta Concilia, humanitas Christi non fuit primario & immediatè unita substantiæ Dei absolutæ, sed substantiæ relativæ & personali Verbi.

Probat secundò conclusio ratione quam prædicta Concilia locis citatis insinuant. Si ratio formalis & proxima per quam Verbum Divinum terminat humanitatem, esset substantia Dei absolutæ, non verò personalitas, seu substantia relativæ Filii, sequeretur tres personas Sanctissimæ Trinitatis terminasse unionem naturæ humanæ, ac proinde esse incarnatas: Sed hoc est contra fidem, & definitionem Conciliorum, ut videmus: Ergo, &c. Probat sequela: Illud terminat unionem humanitatis, in quo est ratio formalis terminandi, sicut illud agit, in quo est ratio formalis & proxima agendi: Sed substantia Dei absolutæ & essentialis reperitur in tribus personis Sanctissimæ Trinitatis: Ergo si illa sit ratio formalis & proxima terminandi unionem humanitatis, sequitur tres personas Sanctissimæ Trinitatis huiusmodi unionem terminasse, subindeque fuisse incarnatas.

Confirmatur: Sicut enim ut duo continua unita dicantur, sufficit quòd habeant quantitativum vinculum sibi commune, nempe lineam, vel punctum: sic etiam ut duo substantialiter unita dicantur, sufficit ut habeant substantiale vinculum commune, quo mediante invicem conjunguntur: Sed juxta sententiam Durandi, ceteræ tres personæ divinæ, & Christi humanitas, habent unum commune vinculum substantiale, scilicet substantiam communem & essentialem per quam absolutè subsistunt: Ergo tres personæ Sanctissimæ Trinitatis, sunt substantialiter unitæ humanitati, ac proinde incarnatæ; cum incarnari nihil aliud sit, quàm substantialiter uniti naturæ humanæ.

Huius argumenti, quod præcipuum & fundamentale est, respondet Durandus negando sequelam Majoris: ut enim (inquit) personæ divinæ dicantur incarnatæ, seu humanitati substantialiter unitæ, non sufficit unio humanitatis ad substantiam absolutam & communem, sed insuper requiritur alia unio formaliter distincta, ad proprietatem personalem & relativam: unde cum Verbo humanitas unita fuerit, non solum secundum substantiam absolutam, sed etiam secundum proprietatem relativam, aliis verò personis dantur secundum substantiam absolutam & communem; hinc fit quòd solus Filius dicatur incarnatus, non verò Pater, vel Spiritus Sanctus. Licet (inquit) concedi possit Patrem & Spiritum Sanctum, cum addito, inquantum scilicet sunt hic Deus, fuisse incarnatos, non tamen absolutè & simpliciter, inquantum sunt tales personæ.

Sed hæc solutio se de doctrina multipliciter contrariari potest, primò ex Concilio Tolitano 6. ubi

A sic dicitur: Nam si naturam hominis, Deique alteram in alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam. Ex quibus verbis hoc argumentum delimitur. Si uno humanitatis ad Verbum esset facta in natura, quia hæc est toti Trinitati communis, infert Concilium tres personas fore incarnatas, & de omnibus verificandum esse quòd corpus assumpsissent: Ergo si de facto unio humanitatis ad Verbum primò terminata est ad substantiam Dei absolutam & communem, & facta cum individuo Deitatis, ut communi tribus personis, de omnibus erit verum dicere quòd carnem vel corpus assumpserint, & quòd homines facti sint.

Secundò, Natura Divina propriè dicitur incarnata, ut ex Damasceno lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 6. docet D. Thomas hic art. 2. & rationem reddit in resp. ad 1. quia nempe natura non differt supposititaliter à Verbo quòd immediatè assumpsit humanitatem, & ratione sui fuit incarnatum: Sed Pater & Spiritus Sanctus non differunt supposititaliter ab hoc Deo, ut communi tribus personis, & in illis subsistente: Ergo si Deus ut communis tribus personis, immediatè & ratione sui fuit incarnatus, Pater, & Spiritus Sanctus propriè incarnati dicantur & facti homines.

Tertiò, Quia assumere sumptum pro principio actionis convenit personis divinis, ratione naturæ ut communis, omnes divinæ personæ dicuntur propriè principium Incarnationis, ut docet D. Thomas hic art. 4. Ergo si terminare immediatè naturam humanam, convenit Verbo ratione naturæ divinæ, & substantiæ, prout est tribus personis communis, omnes cum proprietate dicuntur terminare humanitatem, & consequenter dicuntur propriè incarnatæ.

Quartò, Id quòd convenit naturæ secundum se & ratione sui, de omnibus personis divinis prædicatur: Ergo si natura divina, vel hic Deus ut communis tribus personis, terminet humanitatem, & sit ex vi incarnationis homo, omnes personæ divinæ terminabunt humanitatem, eruntque homines ex vi incarnationis. Consequentia legitima est, Antecedens autem est expressè D. Thomæ hic art. 2. ad 2. & art. 4. in corp. & potest hoc exemplo declarari: quia enim sapientia, misericordia, & iustitia, conveniunt naturæ divinæ secundum se, prout est communis tribus personis, personis etiam conveniunt, & de illis prædicantur: Ergo omne prædicatum conveniens Deo ratione naturæ ut communis, prædicatur de personis.

Denique quòd ait Durandus, Patrem & Spiritum Sanctum posse dici homines cum addito, inquantum scilicet hic Deus, & prout sic incarnatos, temerarium est, cum nullus SS. Patrum, vel Theologorum, ita loqui ausus fuerit: Præterquam quòd, quæ huic Deo competunt ratione naturæ ut communis, absolutè & sine addito prædicantur de personis: creare enim, conservare, gubernare, & omnes operationes ad extra, quia huic Deo conveniunt ratione naturæ ut communis, simpliciter, & sine addito, de personis prædicantur: Ergo si terminatio immediata humanitatis, & humanitas in concreto, prædicantur de individuo Deitatis, ratione naturæ ut communis, absolutè & sine addito diminutive prædicari poterunt de personis, & sic Pater & Spiritus Sanctus simpliciter & absolutè poterunt dici incarnati, & facti homines.



Dico secundò: Verbum Divinum non terminavit primariò humanitatem, per subsistentiam absolutam & essentialem, prout est in Filio, seu ut illi appropriatam, & per relationem Verbi modificatam.

13. Probatur primò conclusio ex Concilio Tolitano supra citato, sic dicente: *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod est proprium Filii*. At quamvis subsistentia absoluta Dei, ut modificata proprietate relativà Divini Verbi, dici possit & debeat aliquid ipsi appropriatum, non tamen dici potest aliquid ei proprium, sed hæc denotatio solum convenit proprietati relativæ: Ergo id quod primariò naturam humanam terminavit, est solum proprietas relativà Divini Verbi, non verò subsistentia absoluta, etiam ut modificata relatione Verbi, seu ut illi appropriata.

14. Probatur secundò: Si persona Filii non terminaret humanitatem, per propriam & incommunicabilem subsistentiam, sed per absolutam & communem, ut appropriatam Verbo; non posset persona Verbi, ut à Patre & Spiritu Sancto distincta, dici terminare humanitatem: sed hoc erroneum est, ut patet ex dictis conclusionibus præcedentibus: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Quia enim virtus creandi non est propria Filio, sed illi communis cum aliis personis, non potest ut appropriata Filio, seu ut modificata per relationem filiationis, aliquid creare, nisi Pater & Spiritus Sanctus simul creent. Ergo pariter cum subsistentia absoluta, sit aliquid commune tribus personis Sanctissimæ Trinitatis, non poterit Filius per talem subsistentiam, etiam ipsi appropriatam, & per relationem filiationis modificatam, terminare substantialiter humanitatem, nisi etiam aliæ personæ illam substantialiter terminent.

15. Probatur tertio conclusio ex alio absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quod Filius non communicaret humanitati assumptæ personalitatem propriam, sed duntaxat subsistentiam absolutam & communem, quod etiam prorsus erroneum est. Sequela probatur: Quia tota vis generandi in Patre est Deitas & Paternitas illi solum tanquam conditio adiungitur, Pater non communicat Filio paternitatem, sed solum essentialitatem: Ergo similiter cum juxta Adversarios tota vis formalis & proxima terminandi humanitatem in Filio, sit subsistentia absoluta, & proprietates, seu relatio personalis Filii, ibi interveniat solum tanquam conditio, manifestè sequitur quod Filius solum communicavit humanitati subsistentiam absolutam, non verò propriam personalitatem, seu subsistentiam relativam & personalem.

16. Dico tertio: Licet Verbum Divinum terminet primò & immediatè naturam humanam per subsistentiam relativam & personalem, secundariò tamen & mediatè illam terminat per subsistentiam communem & absolutam, seu per naturam divinam.

Probatur primò: Humanitas est immediatè unita subsistentiæ personali Verbi, ut primà conclusione ostendimus: Sed cum hac est identificata subsistentia absoluta, & natura divina: Ergo illi mediatè unitur.

Secundò, Unio ista est cum Verbo ut persona divina: Ergo est cum Verbo ut subsistente in divina natura, & consequenter cum divina natura mediatè.

A Tertiò, Juxta frequentiore Theologorum sententiam, humanitas sanctifica a est formaliter à natura divina sub conceptu naturæ: Sed obque unione physica cum illa, saltem mediatè, non potuit humanitas à Deitate sanctificari: Ergo fuit unita Deitati mediatè.

Dico quartò: Quamvis subsistentia relativà Verbi Divini sit ratio formalis & proxima, quæ Verbum terminat humanitatem, nihilominus essentia divina, & subsistentia absoluta, imbibita in eadem subsistentia relativà Filii, possunt dici ratio radicalis & remota terminandi eandem humanitatem.

B Probatur breviter: Illud dicitur ratio radicalis & remota terminandi alienam naturam, ex quo tanquam ex radice oritur tota vis proxima & immediata terminandi: Sed tota vis proxima & immediata determinandi, quæ reperitur in subsistentia relativà Verbi Divini, oritur ab essentia divina, seu à subsistentia absoluta, in ipsa personalitate transcendentaliter imbibita; ideo enim subsistentia relativà Verbi Divini potest terminare naturam humanam, quia est infinita, & continet eminenter formaliter totam perfectionem personalitatis create: hæc autem infinita perfectio subsistentiæ relativæ provenit tanquam à radice ab ipsa essentia divina simpliciter infinita, & ab ipsa subsistentia absoluta, quæ transcendentaliter includuntur in subsistentia relativà & personali Verbi Divini.

## §. 11.

## Solvuntur objectiones.

OBJICIES primò contra primam conclusionem: Verbum Divinum per illud prius terminavit humanitatem, quod prius illi tribuit: Sed prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialem, quam esse personalem, seu modum existendi incommunicabiliter: Ergo prius terminavit humanitatem ratione existentie aut subsistentiæ absolutæ, quam ratione personalitatis, seu subsistentiæ relativæ. Major patet. Minor probatur, Verbum divinum id prius communicavit humanitati quod prius in se continet, sicut forma prius communicat subjecto illam effectum formalem quem prius in se continet: & lux prius communicat aëri esse lucidum, quam calidum, quia unum prius continet quam aliud. Sed persona Verbi divini prius in se continet existentiam aut subsistentiam absolutam, quam subsistentiam relativam & personalem; absolutam enim sunt in Deo priora relativis, maxime existentia, quæ est de conceptu quidditativo Dei, & quæ in ipso antecedit personalitatem: Ergo Verbum Divinum prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialem, quam esse personalem, seu subsistentiam relativam & incommunicabilem.

B Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Nam Verbum Divinum prius naturam tribuit humanitati assumptæ subsistere quam existere; quia humanitas, & quæcunque natura creata, & substantialis, non est immediatè capax existentie, neque illam potest suscipere, nisi prius natura fuerit completa & intrinsecè terminata per subsistentiam propriam vel alienam: ut enim docet D. Thomas infra quæst. 17. art. 2. immediatum susceptivum existentie, non est natura, sed suppositum in natura subsistens. Unde ad probationem illius Minoris dicendum est primò, quod